PATHOLOGIA HÆREDITARIA GENERALIS, SIVE *DE MORBIS HÆREditarijs tractatus Spagyrico-dogmaticus.*

In quo generalis eorundem morborum radix, genesis & therapeutica indicatio ex vtriusque medicinæ fontibus investigatur.

Authore *Dermitio Meara* Hybernio, Medicinæ Doctore.

DVBLINIÆ
Typis Deputatorum *Iohan. Franc.* Typographi regij.
M.D C.XIX.

Cum Privilegio.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ILLVSTRISSIMO
NOBILISSIMOQVE
Heroi, ac Domin. D. *Oliuero*
St-Iohn, Equiti aurato, et regni Hyberniæ Proregi &c.
Dermitius Meara fælicia omnia exoptat.



Puſculum hoc Illuſtriſſime Heros, male exiguum, ſed materia eximium (medicum enim eſt, & ex ſacris vtriuſq; latrices, Dogmaticæ nimirum & Spagyricæ adytis depromptum) tuo conſecrare Honori duplex me impulit ratio. Prima: quod virtutis omnis ſed literariæ præſer-

stim comes inuida, vetus est, & non improuida doctorum virorum consuetudo, laborum suorum fructus, quos perpetuos volunt, & publicæ donare luce gestiunt, principibus dicare viris, (quorum sub fauoris alis, velut Achilleo sub Clypeo delitescentes venenata Zoili tela, linescentes sagittas tutò contemnere possent. Cum igitur opusculum hoc nonnulla contineat, quæ pseudomedicis omnibus, (quorum magna vbiq; multitudo) contemptui sunt, (sic gemmæ et vniones gallo nihil Æsopico) & à doctis quampluribus, quod noua videantur, impugnantur, non vulgari eget patrocinio, sed cuius vel solæ virtutis, et authoritatis fama virulenta inuidorum spicula confringere et contundere valeat. De tua autem auctoritate nihil aliud dicere possum, quam quod, quemadmodum omnium in hoc regno maxima est, ita meri-

meritis, genere et virtutibus suis haudquaquam indigna sit. Multa recensere longum: peracta enim in Academijs adolescentia, per annos plus minus triginta, immensos pro patria et Principe pugnans, bello exantlasti labores, innumeris te surripuit fortuna periclis: nec reliqua ad, huc ætate plus otij, aut tranquillitatis adeptus: quem belli meruere labores, pax dedit honorem, et omnis ingens vnà. Antiquiss. nobilissimamq; tuam familiam multis nostris in oris ignorat: eam igitur frigida obscurare panægyri nolo. Heroicæ virtutes, et quæ in musarum alumno, ac mæcenate requiruntur, duæ: Martia, et Parnassia: militaris, et literaria, Pallas. vtriusq; præses ægide et cuspide armata incedit: ægis intortis obstrigitum anguibus. Pegasi calcaneus Aganippen fontem Musis dedit, et armatos insessoris hostes strauit.

Hæ duæ virtutes ita in te eluceſcũt, vt in ambabus ſimul vtra cancellos ſiſlo) pauciſſimis heroibus ſecundus: imò et cum multis, multum in vtraque ſeorſum celebribus, comparandus. Non imprudenter igitur tuum ego patrocinium tenello huic implorari partui, ne à rabidis Momorum morſibus dilaceretur, atque hæc prima ratio. Altera bonum eſt publicum, incredibili cuius amore amplitudinem tuam ſemper exarſiſſe nihil dubium. Artium omnium, et ſcientiarum humano generi vtilium maximè, neceſſariarum, nulla medicinam, neq; iucunditate, neque dignitate, neq; vtilitate ſuperat. Iucunditas quid, quam [illegible] et [illegible] omnes in illis contentas, virgines, viventes, et apparentes, rarumq; cauſas, et effectus, ortus et interitus, proprietates, conſenſus, et diſſenſus indagare, rimari, et con-

tem-

templari, quod scientiarum omnium sola facit Medicina : nobilissimam esse scientiam illam oportet, cuius in peritia comparanda, quamplures Reges, Principes, et Imperatores insudarunt, quāq; exercere non modo dignati, sed & decus sibi existimarunt. Post Mitrhidatis, Ponti regis obitum, ingens in eius basilica librorum repertus numerus (ipsius manu scriptum, & elucubratorum opus & frutus) quorum alij stirpium historiam, & vires, alij corporis humani fabricam, & temperiem, alij eiusdem corporis ægritudines, earumq; remedia docebant. Euax item Arabia rex librum edidit, de simplicium medicamentorum facultatibus quem Neroni Imperatori dedicauit. Alexandrum, & re, et cognomento magnum saucios suos milites sua manu curasse Plutarchus testatur. Patroclū, Machaona, Podaliriū, summos, Græcia

eiæ duces, et principes, summis affi-
cit laudibus Homerus, quod sauciatis militibus mederi, adiutricesq; manus ipsorum vulneribus admouere et nouerint, et voluerint. Augusto, Tiberio, Adriano, Aurelio, Iustino Imperatoribus: Attalo, Iubæ, Ptolomæo Regibus non exiguum decus artis Apolineæ peritia peperit. Scientiæ deniq; huius vtilitatem ex obiecti eius, corporeæ scilicet sanitatis, præstantia coniectare licet: sanitas autem tanti nobis est, vt sive ea, neque opes, neq; honores, neq; dignitates, nec regna, nec imperia, nec amicitias quidquam æstimemus. Ars igitur illa, quæ vigentem corporis statum tuetur, et labanti medetur, ac in pristinam reducit integritatẽ, quo pacto non omnium vtilissima, & præstantissima sit. Sic sane iudicarunt Cæsares illi, qui teste Plinio medicis professoribus ducenta et 50.

sester-

sestertia, id est, sex millia 200. 50. aureos in annum numerabant, cum reliquarum scientiarum professores non nisi centum sestertia acciperent. Hæc erat et Ptolomæi Regis opinio, qui ob Antiochū patrem à periculosissima ægritudine liberatum 60. aureorū nummorum millia Erasistrato donauit. Idem sensit Ludouicus XI. Galliarum Rex, qui singulis mensibus Iacobo Corterio medico suo primario 1000. coronatorum dabat, vt refert Cominæus. Idem et iudicium erat Philippi I. Hispaniarum Regis, qui cum à febre 7. dierum ad sanitatem esset restitutus Valesio sex aureorum millia præter annuum amplissimum stipendium est elargitus. Idem denique statuerunt & alij illi Cæsares, à quibus Q. Sterminio medicus duodena millia et 500 aureos nummos, singulis annis accipiebat. Pluribus non arbitror opus argumen-

gumentis in medicinæ vsum amplificandis. At experientia docet, quæ omnium optima sunt hominum peruersitate ijs abutentium omnium perniciosissima euadere: ex nulla arte maior, quam ex medicinæ abusu calamitas mortalibus accedit, immo nec tanta: ex nullius quippe artis abusu medicinæ excepto, & bonorum & vitæ simul dispendium emergit: maiori igitur studio, et cura recto huius disciplinæ, quam nullius alterius vsui prospiciendum, eoque id magis quod nulla ars abusui magis obnoxia. A cunctis namq; hominibus eius cognitio & professio ambitur: à perpaucis dextrè ac integrè possidetur. Plures certe hodiè hac Dublinensi in vrbe medicinam exercent, quam vllam aliam artem: sed perpauci, qui sex habent conditiones, quas Hypocrates in medico requirit lib. de lege Naturam scz. i.

mentis

mentis aciem & iudicium, pietatem, modestiam, & prudentiam. *Doctrinam .i.* artis præcepta à doctis præceptoribus, non proprio Marte, accepta, & explicata. *Locum studijs aptum .i.* in Academijs, peracto puluere philosophico, ars edisci debet: inde medicus medico iuramento obstrictus ad praxin accedat. *Institutionem à puero, industriam, & tempus .i.* non nisi longo labore, tempore & vsu perfectus fit medicus. *Hic non modo impijs circulatoribus, inscijs barbitonsoribus, & impudentibus pharmacopæis, sed & alijs quibuscunque artificibus, rusticis, & mulierculis, & quicunque ex hominum fæce, aut artis, & opificij sui sunt pertæsi, aut immodico lucri incenduntur amore, licitum est sacra Æsculapij templa prophanare. Hic non merito quis cum*

Poeta

Posta exclamare posset

——Hic sunt
Quos, erstitenebras palpitet facta potestas
Excruciadi ægros, hominesq; impune necadi

Abusus quidem in omnia terrarum plagis perpetratur, sed non in omnibus impunè, in omni recta administrata et vrbe, et rep. publico nil cautum edicto, vt nemo in publico Academiæ alicuius testimonio, & auctoritate sufficiens medicam aggrederetur praxin. In illis vrbibus rebusq; publicis neque barbitonsor venam aperire neque pharmacopeus medicamenta vendere multo minus ministrare, absq; medici Doctoris præscripto audent. Ter felix regia hæc vrbs, & vniuersa respub. si tali fruerentur edicto. Cum tua igitur amplitudo literis, et literatis faueat & boni sit publici amans, & improborum audaciam auctoritate coercere valeat, tuam implorare opem no-

bilissima

bilißimæ ſcientiæ miſerabiliter af-
flictæ, me idem coegit, quod hoc o-
puſculum ſcriberem, ingenitus ſcilicet
patriæ vtilitatis amor, qua in re ſi
quid peccaui, Heroicam tuam hu-
manitatem omnia boni conſulturam
ſpero. Te Chriſtus opt. Maximus in
hac vita ſoſpitet, qua tranſacta ad
gaudia ducat æterna.

Tui Honoris

obſeruantiſſ.

Dermitius Meara.

In laudem Authoris epigramma IOHANNIS KELLI, in artibus Baccalaurei & Collegij S. Trinitatis Dublinensis Socii.

Cvique suum pulchrum: venerantur Pergama manes
Galeni; Hyppocratem Graia rota canit.
Germanus mirat Paracelsi prædicat artes
Pangit Auicennam lætus & omnis Arabs.
Perpetuo pariter pubes Hybernia decores
Læta Mearæos, ingeniumque canet.
Quicquid Arabs, Graius docet, & Germanus in arte
Iatrica, Doctus cuncta Meara tenet.
Galenũ sequitur: Galeni docta propago:
Spagirica Callet dogmata pulchra schole.

Aliud

Aliud eiuſdem in laudem operis.

HOc fructu eximium, exiguum
quid ſimile volumen?
Necnon eximii grande opus ingenii eſt,
Morborum cauſas utroque
ex dogmate pandis
Galeniſtarum, Spagyricæque Scholæ.
Cur patrum carpit quoſdam
miſerabilis hæres
Morbos? non omnes? quæ ſit
origo mali?
Quinquies à proavis edſeren ſeptem nepotes
incolumi media prole, nouerbes?
Multaque præterea naturæ
abſcondita penetia
Explicas: ex adytis omnia prompta ſacris.

Typographi precipua errata sic candidus corrigat lector.

PAg. 2. lin. 2. lege morbis. pag. 9. l. 13. l. robur. p. 20. l. 14. l. iuuere. p. 31. l. ult. l. Anatomiæ pag. 33. l. 19 l. Anatomia. p. 127. l. 7. l. Empiricarum.

CAP. I.

Quid sit, & an sit morbus Hæreditarius?

MOrbus is dicitur hæreditarius, qui cum parentem afflixerit, eiusque radix solidæ alicui parentis parti firmiter inhæserit, hæreditario quodam iure in posteros descendit: Per parentem autem intelligo non modo proximum, sed

& remotum: multi etenim morbis agitantur hæreditarijs, quorum nec Pater, nec Mater, neque auus, neque auia, eiuſmodi vnquam morbis fuere divexati: at impoſſibile eſt, quin in maiorum aliquo tales apparuerint ęgritudines, alioqui in poſteris hęreditarię dici non poſſent. Addidi hæreditario iure, quod tum pater, tum natus eodem ſpecie morbo perſæpè corripiantur, qui tamen ex accidenti vtrię; contingit, ac proinde accidentarius, non hæreditarius dici debet. Accidentarium appello morbum omnem, cuius ſemen, principia & cauſæ morboſo

non ſunt ingenita, & aliunde quàm ex vitæ principijs advenerunt; idque vel ipſo generationis, aut conformationis tempore, occulta planetarum, fixorumque aſtrorum influentia, (cui non levem morborum procreandorum vim aſſignandam cenſeo) vel reliquo geſtationis tempore, ex alimenti, quod fœtus in vtero carpit, vitio, vel poſtquam fœtus in lucem eſt editus, qualis & quæcunque ſit cauſa: ſolius namque morbi hæreditarij radix, ante fœtus generationem, vel ſaltem ante abſolutam conformationem, alicui alterutrius parẽtis parti fixæ

inhæret, vnaque cum alter-
vtro vitæ principio, ſemine
ſcilicet, vel ſanguine in pro-
lem transfunditur, vnde pro-
prij, propriè loquẽdo, prolis
morbi, non accidentarij, in-
fauſtæ hæreditatis iure con-
ſurgunt. Dari morbificam
eiuſmodi hæreditatem me-
dicorum nemo eſt, qui non
affirmat, idque quotidiana
docet experientia, elephan-
tiacum enim elephantiacos,
arthriticum arthriticos, ne-
phriticumque nephriticos
procreare vulgo expectatur
& plerumque experimur.
Quinimo quamplures cer-
nere licet familias, quarum
ſingulæ peculiares quoſdam
mor-

morbos ita ſibi vendicant, vt omnes eadem de ſtirpe ſati, eoſdē fere morbos patiātur, eorumq; multi eodē ętatis, annorumq; circuitu, & curriculo, nec non cum ijſdem, aut nō multū diſcrepantibus Symptomatibus, vitæ terminum claudant; quod ſi quis vt aliquando contingit, ijs non ſit morbis obnoxius, qui domui, vnde ortus dicitur, proprij ſunt & peculiares, non levem inde conjecturam vulgus capit, hominem illum in alienum omnino genus ſeſe inſerere, & alienum prorſus nomen ſibi adſciſcere: neque ſane vulgaris hæc opinio omni prorſus ratio-

ne destituta videtur: experimur siquidem vnum morbi genus in particularem hanc, vel illam terræ plagam ita grassari (Endemium vocant) vt ab eius furore, & impetu nullus fere incola liber evadat, cum tamen in reliquis orbis regionibus terrifica illa lues neque visa, neq; audita. Ante annum salutis 1494. venerea contagio, quã nostrates Gallicum morbum, Galli Italicum & Hispanicum nuncupant, Europæis medicis incognita, & inaudita fuit, licet multis ante sæculis apud Occidentales Indos ita misere debachabatur, vt nemini fere peperce-

rit,

rit. Sic olim Galliæ Narbonenſis Carbo, lepra Alexandriæ, Bronchocele montium Subaudiæ proprij & Endemij erant morbi, quemadmodum & hodie quæque regio ſuas habet peſtes, quas ſuis alumnis larga ſatis cum liberalitate, longeque æquabilius, quam vllas alias (proh dolor) diuitias impertitur. Singulæ item anni tempeſtates, variæ hominum ætates, diuerſę temporum mutationes, varias pro ſua quæque natura ægritudines, eaſque Epidemicas, hoc eſt infinitæ multitudini communes pariunt, vt docet Hipocrates 3. aphoriſmorum. De

anni temporibus hæc habet aphoriſ. 19. *Morborum genus omne omnibus anni temporibus exiſtit, ſed tamen eorum alij certis anni temporibus facilius exiſtunt, & ingraveſcunt:* Specialius loquitur in ſequentibus *Vere inquit* aph: 20. *Inſaniæ melancholiæ, & Epilepſiæ ſumma ſunt omnia, ſanguinis profluvia, anginæ, grauedines, raucitates, & tuſſes, & lepræ, impetigines, alphi, plurimæque puſtulæ vlceroſæ, purulentæque, & tubercula, & articulorum dolores.* Eſtatis pariter morbos aphor. 21. recenſet, & qui Autumno contingere ſolent aphor. 22. & qui Hyemi familia-

miliares sunt aphor. 23. Ætatum morbos prosequitur in subsequentibus omnibus vsque ad finem libri. Si quis scire velit quales morbos quæque temporum mutationes, defectionesque producunt, legat aphor 11. 12. 13. & 14. imo 18 priores eiusdem libri. Iam si loci, temporum, ætatis, & auræ tanta est in multitudine inquinanda robour, ob cœli, solisque communionem, eandemne vim negare decet semini, quod intrinsecum, & essentiale est multorum principium? Cum denique parentũ virtutes, & vitia, quæ animi potius; quam corporis

diatheſes cenſentur, vi quadam hæreditaria à ſemine in ſobolem propagari agnoſcamus, quid ſuadet vt morbos, materiales, corporeoſque affectus, natis à parentibus, ſeminali admiranda nimis, & fœcunda nō minus in bonis, quam in malis, virtute communicari nō credamus. Imo vero cum ſemen in ſe ſingularum partium corporis, vnde dimanat, ideam, formam, & proprietates potentia contineat, hinc ſexus, tēperiei, effigieique præcipua petenda ratio) admirari quis merito poſſet, morborum genere vllo parentes afflictos, quod fertilis illa in ſemine occul-

ta

ta facultas in liberos non derivet. Constat igitur morbos dari hæreditarios, & cũ quid sint, abunde satis declaraverimus, ad alias, quæ plus difficultatis habent, subtilioriq; ingenij examine egent, quæstiones discutiendas, accedamus.

CAP. II.

Quæ sit morbi hæreditarij causa? & an omnes morbi hæreditarij?

Fernelij opinio.

VAstissimum mihi proponitur disputandi trãsfre-

fretandum æquor contrarijs doctiſsimorum totius ferè Europæ medicorum opinionum flatibus ita exaſperatum, vt noſtræ rati æſtuantibus ab vndis non mediocriter metuẽdum ſit; ſed quanto laborioſor futura hæc noſtra navigatio, tanto maiori, vt ſpero, cum voluptate in tranquillum veritatis portum nos ſecunda Philoſophiæ flamina appellent. Philoſopho ſpeculatu iucundum eſt, & medico cognitu vtile, vnde promanat infœlix illa fœcunditas, quæ morbis quibuſdam ineſt, vnde fœlix aliorum morborum ſterilitas, qua inepti reddunturvt

à maiori-

à maioribus in posteros trãsplantari nequeant. Fernelius vir optime de re medica meritus, vtpote qui absolutam Iatrices Cyclopediam constructit, quique abstrusiores artis latebras admirandis ingenij radijs egregie collustrauit, duplicem assignat morbosæ hæreditatis causam: semen & maternum sanguinem, vultque vi seminis, vt videtur, morbos omnes hæreditarios esse posse, vi sanguinis multos nõ omnes. Primo pathologiæ capite vndecimo morborum causas inuestigans, per semen ait natos recipere morbos omnes, quibus pater generatio-

nerationis tempore posside-
batur : per sanguinem eas
ægritudines, quæ matrem
vtero gestantem corripue-
runt. At nullus fere excogi-
tari potest morbus, quo non
sit posibile aut generantem
patrem, aut prægnantem ma-
trem laborare. Generantem
patrem morbos suos omnes
in prolem vna cum semine
transmittere iudicat, duobus
(vt ex eius verbis colligere
possum) persuasus argumen-
tis : Primum hoc est : cum
semen (quod vel ab vniuer-
so corpore, vt Fernelius lo-
co iam citato asserit, vel à ce-
rebro, corde, & hepate, præ-
cipue à cerebro, non à toto,
vt

vt ſeptimo phiſiologiæ capite tertio apertis verbis affirmat,) ſingularum in ſe partium, idæam, formam, temperiemque potentia contineat, vt medici omnes vnanimiter atteſtantur, credibile eſt, & valde probabile ſingularum partium morbos, earumque cauſas eodem in ſemine potentia contineri, & in liberis temporis proceſſu in actum pullulare. Aliud argumentum ab experientia elicitur. Mutilus mutilos, Epilepticus epilepticos & leproſus leproſos gignit: at nulla videtur aſsignari poſſe ratio, cur eiuſmodi morbi fœcundiores eſſent in ſuo genere

genere multiplicando vi seminis, quam alij omnes in suo. Est igitur Fernelij opinio morbos omnes seminali virtute in sobolem transferri posse. De sanguine materno idem sentire videtur Pathologię ante citato capite, hæc sunt eius verba. *Quinetiam maternus sanguis, primum fœtus alimentum, altera est temperamenti, constitutionisque causa, atque is sua etiam vitia, at levius quam semen in corpus inserit*: confirmat hoc aliquot suis obseruationibus. *Animaduertimus* inquit *si grauidam medio gestationis tempore, quartana febris adoriatur, partum edi, qui*

qui diù posteà quartana febre consiſtabitur, *atque ſi nono ea* menſe *pleuritide prematur, prolem gigni in pleuritidem quoque proclivem, quemadmodum & eius, cui abſceſſus ex aure octauo menſe proruperat, filium in omnem vitam purulentas habuiſſe aures.* At 7. Phiſiologiæ ca. 6. morborum quorundam, eorumque hæreditariorum ſanguinem cauſam poſſe eſſe negat. *Id inquit* de Fœmineo ſemine verba faciens: *vim habere procreantem, atq; fingentem inde colligitur, quod non aliũ in his, quam in maribus ortũ, & a teſtibus, & a vaſis acceperit: quod etiam mulier, quæ*

morbo

morbo comitiali, calculo, aut podagra affligitur prolem, gerat horum malorum hæredem: quod demum partus sit plerumque matri similis: quæ omnia non maternus sanguis, sed quod ab illa profusum est, semen efficere potest: Hic locus cum priori comparatus, aut Fernelium omnino inconstantem, & obliuiosum indicat, aut, quod verisimilius est, cum tenuisse, sanguinem morborum hæreditariorum causam quidem esse posse, non tamen omnium, quanquam discriminis rationem nullam ostendat.

CAP.

CAP. III.

Fernilianæ opinionis confutatio.

FErnelium ingenio fuiſſe fœliciſsimum, & eruditione celebertimum fateri oportet: vtriuſque etenim perennia ſuperſunt monumenta, quorum beneficio, nullo vnquam non ævo inter clariſsimos artis Aſclepiadeæ Principes commemorabitur: attamen vſu plerumque evenire videmus, acutiora ingenia grauioribus obnoxia erroribus: perſpicaces ſiquidem animi cũ novis ſemper inhient inventis,

tis, trito, & pluribus communi tramitte incedere nolunt, imo per devia, in accessibilesque scopulos cursum perpetuo tenēt, vt ex maiori operis difficultate, & labore maiorem sibi laudem & gloriam reportarent: gloriæ enim avidissima sunt eiusmodi inginia natura: difficillimum autem est quempiam per insuetas & cęcas semitas solum sine duce vagantem non à proposito itenere procul aberrare. Huius rei si quisquam, qui de re medica scripsit, testis esse potest, omnium sane maxime luculentus Fernelius: vt namque artem quamplurimis

mis ditavit ornamentis, ita & multas in eam introduxit hæreses. Contra, non modo medicorum omnium opinionem, sed & rationem, & experientiam 6. Pathologiæ cap. 18. asserere non veretur, arthritidem omnem frigidam esse, nullam calidam, ex frigido humore vtpote seroso vel pituitoso, nunquam ex sanguineo, vel bilioso, vel melancholico generari: humorem præterea, qui arthritidis est causa, in articulos à visceribus nunquam demitti, sed semper ab externis capitis partibus, & extra calvariam positis per summa corporis sub cute, non per

per

per venas descendere. Eodem 6. Pathologiæ cap. 12. calculum nullum in vesica generari contendit. Formæ & materiæ morborum solus est author de morborum differentijs cap. 7. Nec minus sane rationi absona, quæ de morbis hæreditarijs protulit; duo sunt præcipua capita eius opinionis; alterum seminali virtute morbos omnes hæreditarios reddi posse, alterum morbos quosdam hereditarios, non omnes, à sanguine originem ducere aliquando: vtrumque successiue confutabo, & vt à priori incipiam, quis non quotidie experitur generantes pa-

parentes multis infestari tumoribus contra naturam, multis vlceribus, multis vulneribus, quæ neque seminali virtute, neque aliter liberis communicant: mirum igitur quid Fernelium in hæc verba impulerit: *Quocunque morbo Pater cum generat, tenetur, eum semine transfert in prolem:* aut ipsis non credit sensibus, & extasi illa quę vigilantis somnium appellatur, eaque per totum continuante vitam, laborat, aut tumores, vlcera, & vulnera morbos esse negat, contra quam tum medici omnes vno ore statuunt, tum ipse 7. Pathologiæ vbi de externis

nis corporis affectibus agit, passim testatum reliquit. Non negabit præterea morbos esse Catharrhos, opthalmias, asthmata, cephaleas, febres, omnesque alios affectus à fluxilibus humoribus dependentes: at horum nullus plerumque, etsi generantem parentem possideat, ad prolem, vi seminis transvehitur, propterea quod eorum radix, & causa nequaquam fixa est, neque fixæ alicui parti inhæret, ac proinde eorum tinctura semini omninò non imprimitur: ad id vero, quo, tanquam fundamẽto maxime innititur Fernelius, semen à qualibet corpo-

potis parte, vel à cerebro corde, & hepate demitti, & consequenter partium omnium vires, defectusque in fœtum transportare, respondeo, semen formam suam, & essentiam à testibus, vasisq; spermaticis accipere, aliæ enim nullæ partes vim habent spermatopoeticen præter testes, & prædicta vasa, quæ ad id muneris à natura sunt constituta: quod si etiam concederetur, vt concedendum non arbitror, ab omnibus partibus semen defluere, non inde tamen sequeretur, cuiusque partis affectiones omnes, earumque causas fœtui imprimere posse, non

enim oportet, imò ne probabile est, semen impressiones vllas secum transportare, quarum non tenaces, & fixæ sunt radices, corpori, à quo dimittitur semen, inhærentes. Cæterum multi sunt morbi facile dissipabiles, facile mobiles, nullaque pars corporis, quæ non eiusmodi morbis sit obnoxia. Non omnes igitur morbi hæreditariam fœcunditatem vi seminis assequuntur, neque quoniã quamplurimis morbis eiusmodi fertilitas inest, eandem in omnibus admittere debemus, ob rationem iam dictam, quę secũdo Fernelij argumento ad plenum satis-

satisfacit: Hæc de priori parte sufficiant, iam de posteriori pauca dicemus, plura in duobus sequentibus capitibus dicturi. Negandum profecto non est, fœtus temperamentum, & constitutionem ab alimento, quo in vtero vrebatur, non parum dependere, eiusque alimenti istœlici beneficio, fœtum in varios præcipitari morbos, eosque interdum hæreditarios: si enim postquam in lucem est editus, iamque robustior factus, alterius mulieris, vtpote nutricis, vitia, & infirmitates contrahat, propterea quod eius lacte nutriatur, ac proinde nos nu-

trici, non infanti medicamenta præscribimus, vt lacte purificato, puris, & salubribus infans vescatur esculentis) impossibile est, si qui fuerint defectus, magni saltem in nutrimento, quo toto gestationis tempore frueretur, dum adhuc tenellus esset, & veluti molliuscula cera, quālibet impressionem facillimè recipiens, quia in eos delabatur, eisque per aliquod vitæ tempus, si non per totam, infestetur, donec vel alterius alimenti, vel æratis, vel aeris, vel medicamentorum virtute praua illa depositio prorsus abigatur, & noua constitutio introducatur. Est autem

autem animaduertendum ſanguinis vitiũ, quod morbos cauſat hæreditarios, ſanguini ineſſe oportere ante viſcerum parenchymatum, ſolidarumque partium conformationem: nam ſi poſt quartũ à conceptione menſem, quo tempore vltima partium conformatio abſoluitur, fœtuſque moueri incipit, impuritas, morboſa ſanguini acceſſerit, non adeo fixa fœtui ſemina infigere valet, vt tenax inde morbus, qui hæreditarius dici debeat, conſurgat, etſi quædam in morbos procliuitas inde enaſcatur, quæ non niſi longo labore amouetur, modo

impuritas magna sit, & fœculentæ, accompactæ naturæ, quæ non sit facile dissipabilis: quod si vero vel ante conceptionem, vel primis conceptionis mensibus fixa aliqua morbositate sanguis maternus sit inquinatus, eãdem certè morbositatem mater fœtui communicabit, morbusque consurget hæreditarius. Hæc omnia Fernelius concedit; calculum tamen, arthritidem, & Epilepsiam sanguinis vitio à matre in sobolem transferri negat. Sed quæ ratio diuersitatis? nulla certe: nam si fluxiles, minusque permanentes impuritates sanguinis mater in libe-

liberos transferat, multo magis ſtabiles & fixas, ſed hæc fuſius tractabimus in illorum opinionis cõfutatione, qui morbos nullos fieri arbitrantur hæreditarios niſi beneficio ſeminis.

CAP. IIII.

Laurentij opinio.

ALter medicorum Coryphęus Andræas Laurentius, Henrici quarti, Gallorum Regis Conſiliarius, & Medicus ordinarius, eiuſdẽque in Monſpelienſi Academia quondam profeſſor celeberrimus octauo Anoto

miæ, quæstione quinta, morbos nullos hæreditarios vitio sanguinis fieri asserit, Ibi opinionem improbans Peripateticorum, qui muliebre semen infœcundum esse volunt, sic vrget: *Sed quid de Hæreditarijs morbis respondere queant non video, Arthritica arthriticum, epileptica epilepticum, & calculosa calculosum gignit, non sanguinis vitio, quis enim sanguinem menstruum singularum partium ideam in se continere vnquam dixit? Impurus quidem sanguis debilem, & morbosum fœtum reddet, sed renibus calculosam, arthriculis arthriticam dispositionem*

tionem imprimere, soli hæc semini, quod fatalem in se moriendi, & viuendi necessitatem continet, est concessum. Idem etiam asserit quæst. 9. eiusdem libri in confutatione opinionis Mercurialis de variolarum causa. *Hæreditarij*, inquit, *omnes morbi, non nisi per semina liberis communicantur.* Addit ibidem diathesin illam, quę in posteris multiplicatur, inhærere debere solidis parentum partibus, alioquin ad posteros non peruenturam: per solidas autem partes solas spermaticas intelligit, vt videre est apud ipsum 1. Anotomiæ q. 10. Cum igitur innu-

meri sint morbi, qui in humoribus, & carnosis partibus sedem habent, non omnes morbos hæreditarios esse posse existimat. Porro cum duplex sit morborum genus: alij fientes, alij facti dicuntur: in his, non in illis hæreditariam fœcunditatem admittit. Facti appellantur illi morbi, qui post causę, qua in subiectum inttoducĩtur, ablationẽ, in subiecto radicaliter manent, vt arthritis: etsi etenim humor in articulo contentus, arthriticumq; doloré causans, catharticis, aut aliter auferatur, nisi tamẽ recipientes partes, vtpote articuli, ab intemperie re-

licta

licta liberentur, tumq; ipſe-
tum mandantia viſcera ro-
borentur, arthritis omnino
curari nequit. Fiens vero
morbus is eſt, qui ablata cau-
ſa efficiente, permanere non
poteſt, neque actu, neque po-
tentia, vt morbilli, & vario-
læ: poſtquam namque ma-
terni ſanguinis impuritas
que morbillorum & variola-
rum in prole cauſa eſt, per ex
anthematum eruptionem,
criticamque excretionem
penitus ſemel ablata eſt, nul-
la ſupereſt ad eiuſmodi mor-
bos diſpoſitio, neque in eos
periculum eſt relapſus. Sum-
ma Laurentianæ opinionis
eſt, non omnes morbos eſſe
hære-

hæreditarios, & ex hæreditarijs nullum vitio sanguinis fieri. Idem videtur Iulius Palmarius Medicus Parisiensis sensisse de morbi hæreditarij causa: etenim in opere suo de morbis contagiosis, tractatu de elephantiali, cap. 2. inter alias Elephantiæ causas ius annumerat, hereditarium, idque à solo semine promanare statuit, tum ibidem, tum eiusdem tract. c. 7

CAP. V.

Confutatio prædictæ opinionis.

LVbens Laurentio concedo morbos omnes hæreditarios

ditarios esse non posse, idque satis sufficienter in Fernelianæ opinionis confutatione demonstrauimus: cum vero à morbi hæreditarij causis maternum sanguinem omnino excludat, ei, neque eius sectatoribus assentiri possum: quanquam medicus fuerit celeberrimus, & multijuga eruditione insignis, aliquando tamẽ doctus dormit Homerus: nemo hominum in omnibus sapiens: nullam eius video rationẽ, qua quod dicit demonstrari posset: in contrarium autem multas, è quibus vnam hanc validissimam & irrefutabilem reputo. Humanæ gene-

rationis,

rationis, quemadmodum & alius cuiuſque actionis duo ſunt principia: actiuum ſcilicet & paſsiuum: ſemen actiuum eſſe, & efficiens, tum medica, tum Peripathetica ſchola docet: Addunt medici ſemen non ſolum efficiens eſſe, ſed & materiam ex qua ſpermaticæ omnes partes conſtant. Peripathetici contra ex ſolo ſanguine partes omnes tum ſpermaticas, tum carnoſas, vt materiali principio conſtare contendunt, & ſemen ſolius efficientis munere fungi: & ſane quanquã cum medicis dicendum ſemen, quod duplici conſtat ſubſtantia ſpiritibus, & craſ-

ſamen-

ſamento; ratione ſpirituum opificem eſſe, ratione craſſamenti materiam ſpermaticarum partium, vt fuſe docet Laurentius quæſt. 7. libr 1. Anatomiæ, & Valeſius lib. 2. Controuerſiarum Medicarum quæſt. 7. animo tamen haud quaquam concipere poſſum, qui fieri poſſit, vt ex ſolius feminis tantillo iniecto tota omnium ſpermaticarum partium, oſſium, cartilaginum, vinculorum, neruorum, arteriarum, venarum, & membranarum moles conſurgat: nec quod Laurentius reſpondet, ſatisfacit; ex ſolo ſcilicet femine, ſpermaticarum omnium partium

um prima filamenta & ſtamina confingi, ortumque ducere; incrementum vero, & perfectionem à ſanguine recipere: non inquam hæc reſponſio argumentum ſolvit: nam præterquam, quod eadem ipſa filamenta ex ſolo ſemine cõfigurari incertum ſit (veriſimilius fortaſſe ſtatim poſt ſeminis ab vtero amplexum, ſpiritibus in ſemine antea ſopitis, iam vterino calore excitatis, munus ſuum, conformationem nimirum, inchoantibus, ſanguinis portionem illuc confluere, prouida natura id imperante, vt ex vtroque principio ipſa eadem filamenta

à Diui-

à Diuina ſeminis facultate procreatrice fabricarentur, (neque hic vlla impoſſibilitas, quicquid Laurentius in contrarium dicat) conceſſo etiam, ſolius ſeminis craſſamentum ſtaminibus illis delineandis materiam præbere; fateri tamē oportet Laurentium, ſanguinem in ſpermaticarum partium ſubſtantiam conuerti, quādoquidem ex eo incrementum, & perfectionem accipiunt: multum ergo decipitur dum ſolum ſemen ſpermaticarum partium materiam arbitratur: ex ijſdem namque conſtamus, ex quibus nutrimur: Cum igitur fixiorum, magiſque per-

permanentium corporis partium, quę ſpermaticæ appellantur (nō quod ex ſolo fiāt ſpermate, ſed ad differentiam carnoſarum, in quarum compoſitionem ſperma non ingreditur) ſanguis materiale ſit principium, ſi fixa aliqua impuritas, quæ morboſitatis cauſa eſſe poſſit, ſanguini inſit, quod multoties contingit, impoſſibile equidem eſt, quin & illæ eandem impuritatem, ex eaque conſurgentem morboſitatem participent (niſi fortior aliqua cauſa impediat) & conſequenter ex ſanguinis, quemadmodum, & ſeminis culpa morbos conſurgere hæreditarios

tarios est necesse. Sed dicet aliquis, semen fortius esse principium, fortiotemque causam: sanum ergo existēs, sanguinis impuri vitia abolere, & à fœtu secludere. Ad hoc respondeo, leuiora quidem sanguinis vitia à semine sano, & forti aboleri, grauiora corrigi non aboleri: neque à fœtu secludi: hinc tamen benè inferri posset, morbos hæreditarios à sanguinis pernicie ortos, non vsque adeo stabiles & radicatos esse, ac illos, quorum causa semen simul, & sanguis fuerunt: imo & solius seminis vitia longe grauiora esse, quam sanguinis. melio-

rum

rum enim, & perfectiorum corruptio peior, & fortior, vt patet in vteri strangulatu, qui siá seminis retentione oriatur, terribilioribus premet Symptomatis, quam si á mensium suppressione pendeat. At vltra vrgere licet ex verbis Laurentij ante citatis anot. 8. q. 5. Mẽstruum nulla est agendi facultate prædi-tum, neque partium in se ideam, aut actu, aut potentia continet: non potest ergo infantis renibus calculosam parentis dispositionem, aut articulis arthriticam imprimere: alioquin duo sequentur absurda: aget quod agere nequit. solum namque semen

men principium est actiuum: & dabitur, quod in dantis potestate non est, partium nimirum morbosarum idea, quæ in seminis, non sanguinis potentia latet. Subtile sane hoc argumentum, cuius tamen robur satis exiguum, & solutio facillima. Admitto spiritus in semine latentes, auctores esse, & opifices actionum omnium conformationis, asseueranter autem affirmare possum, partium ideam, siue similitudinem, & morbosam, ac sanam dispositionem non in spiritibus, sed in altera seminis parte, quæ crassamentum dicitur, secundum

apti-

aptitudinem residere: Est enim materia, non efficiens, cuius in potentia subsequentes omnes formæ continentur, & ex qua educuntur. Spiritus igitur partes omnes efformant, & figurant, nullam vero nouam introducunt dispositionem, cuius radix & causa in materia mõ pręexistebat: quẽadmodum statuarius varias statuas ex varijs materijs, imõ & ex eiusdem materiæ varijs, sed heterogeneis partibus cõdit, argenteam tamen non nisi ex argento, neque auream nisi ex auro, sic spiritus naturæ opifex ex semine simul, & sanguine, vt supra ostensum

sum, os, nervum, cartilaginem, reliquasque foetus partes fabricat; sanum quidem os, vel nervum, &c. non nisi ex semine & sanguine sanis, morbosum, verò, vel ex semine, vel ex sanguine morboso: quanquam igitur semen ratione spiritus, efficiens sit, qui parentum morbosam dispositionem, de potentia in actum in prole elicit, eius tamen dispositionis causa, & seminarium, interdum in sanguine, non in semine consistit. Hoc idem asserit Magnus, summus, & Medicus, & Philosophus 1. Pathologiæ cap. 11. & Milius in operis Chymicomedici tracta-

tractatu primo, quem Basilicam Medicam appellat, lib. 2. cap. 2. & Duncanus in arte Medica libr. 3. cap. 1.

CAP. VI.

Quercitani opinio.

TErtia supereſt opinio Ioſephi Quercitani, Henrici itidem Quarti, Gallorum Regis Conſiliarij, & Medici ordinarij, viri in vtraque medicina dogmatica, & Hermetica ſeu ſpargyrica clariſſimi. Hic in tractatu, quem de arthritide, & calculo ad Riuierium eiuſdem Regis archiatrum ſcripſit, in mor-

bo-

borum hæreditariorum origine expiſcanda, noua incedit via, nouiſque inſiſtit fulchris, in dogmaticorũ ſchola non niſi nuper notis. Tria ponit ſumma morborum genera, ſulphurea, ſalina, & mercurialia, tribus rerum omnium, vt Spagyricis placet, principijs hypoſtaticis, ſali, ſulphuri, & mercurio correſpondentia. Spagyricorum autem ſal, ſulphur, & Mercurius mineralia illa non ſunt, quæ à mercatoribus vulgo venduntur, ſed tres, ſenſu perceptibiles, ſubſtantiæ, quæ Chymicæ analyſeos beneficio, ex qualibet ſubſtantia corporea elemẽta-

ta erui possunt: mineralium istorum nomina ijs imposita tum quod illis analoga sunt, tum quod inter se essentia, proprietatibus, & actionibus tantum differunt, quantum mineralia illa in suo genere inter se. Mercurius primum est, quod in Chymica corporum resolutione apparet, liquor aqueus, aereus, acidus, permeabilis, & penetrabilis, à quo secundum Beginum Tyrocinij chymici ca. 2. nutricatio omnis, sensus, motus, colores, vires, & præpropetæ senectutis retardatio. aëri assimilatur, quod caloris vi in auras facillimè abeat: aquę etiam elemento con-

fertur,

fertur, quod fluidus sit, nec proprio, sed alieno termino, dum in sua est natura, facile contineatur, quę humidi est apud Aristotelem definitio 2: de generatione tex. 23. Sulphur oleaginosum quid est, viscidum, pingue & resinosum, proximumque post Mercurij liquorem à corporibus spagirica destillatoria arte extrahitur: igni comparatur, quod facillimè flammam concipiat, & ardeat, quemadmodum, & quæ de eius natura participant; vt resinosa omnia, & pinguia. Sal vltimum est, quod post Mercurij, & sulphuris extractionem, in destillatorij vasis

fundo reſidet, ſiccum, & ſal-
ſum corpus, res miſtas à pu-
tredine defendens, rebuſque
omnibus ſoliditatem, de-
terminationem, ſapores,
necnon varias diſſoluendi,
coagulandi, detergendi, &
euacuãdi facultates imperti-
ens. Analogia reſpondet ter-
ræ, non quod frigidum, &
ſiccum ſit, vti terra eſſe dici-
tur, ſed quod firmum, atque
fixum ſit principium, & ca-
lida actiua qualitate prædi-
tum. Cunctarum quippe re-
rum generationi inſeruiit
exiſtimatur. Tria hæc in vi-
noquoque corpore miſto re-
periri varijs exemplis, ſeu ex-
perimentis demonſtrat idem

Beguinus

Beguinus loco iam citato: vnum hic recenſere non pigebit. *Ligna*, inquit, *viridia cremantur: egredietur primo aquoſum quiddam, quod ignis flammæ concipiendæ eſt plane inidoneum, & in fumum conuerſũ, ſi colligatur, in aquam reſoluitur, dicitur que Mercurius: Deinde exibit oleaginoſum quiddam facile inflammabile, quod in vapores reſolutum, ſi cohibeatur, in oleum abit, vocaturque ſulphur: tandem remanet ſiccum & terreſtre, quod ex cineribus aquæ beneficio extrahitur, inque humido, & frigore ſoluitur. calore autem concreſcit, ſalisque nomen obtinet.* Modum præ-

terea quo tres hæ naturæ simul consistere, & mixtum, atque perfectum corpus constituere possunt, & quid altera alteri præstat Quercitanus in tractatu de *Signaturis rerum internis ad hunc modum explicat. Cum humiditas* inquit *Mercurialis volatilis ac spiritualis cum parte terrena, corporea, atque fixa, sale scilicet, propter ingentem discrepantiam, & contrarietatem utriusque, consociari facile nõ possit, opus fuit medio, ac ceu quodam sequestro, qui utriusque, hoc est, tam spiritualis, quam fixi, participatione, utrumque coniungeret, atque hic est sulphur, seu oleũ,*

quod

quod inter fixum, & volatile medium quiddam tenet, nunquam enim tam facile, nec tam cito, aut tam bene de stillatur oleum, ac aqua: accedit quod sulphuris seu oleaginosi corporis substantia, tenax sit, ideoque aptissima ad combinationem reliquorum duorum, ad efficiendam bonam, æquabilem & perfectam mixtionem. Hoc exemplo confirmat, *nunquam*, inquit, *tenax atque laudatum cæmentũ confici potest, ex sola aqua, atque arena, sed calce insuper opus est, quæ vtraque illa tanquam oleum, ac gluten quoddam cõnectit. Sine sale reliqui duo humores fluxiles, & sua natu-*

ra mobiles, fixum, firmum, & ſolidum cõrpus conſtituere nequeunt. Humor denique mercurialis reliquorum eſt tanquam vehiculum ad penetrationem, & mixtionem facilitandam ſeruiens. His pro fundamento poſitis cum ſanitas, nihil aliud ſit Medicorum omnium confeſſione, quam debita principiorum, ex quibus vnumquodque viuens componitur, eorumq; actionũ proportio, & ſymmetria, atq; morbus eorundem principiorum, actionumue ametria, inferunt Hermetici morbos omnes, vel ſalinos eſſe, vel mercuriales, vel ſulphureos: Si enim

enim tres hæ ſubſtantiæ debite pro ratione viuentis commixtæ ſint, ſingulæque debitas ſuas operationes proportionaliter exerceant, hinc ſanitas, longęvitaſque. Quod ſi vero illarum aliqua, vel omnes proprios excedant cancellos, & limites, aut ſuo quæque vel aliqua non fungatur officio, prout tali opus eſt animanti, hinc infinita morborum genera: alia quidem ſalis, alia ſulphuris, alia Mercurij vitio: Singulorum proprios morbos, & defectus Quercitanus, libro de recondita rerum natura, & tractatu de ſignaturis rerum internis recenſet, ad quæ loca

qui accuratè eos scire capit, ablegamus: nobis hic sat esse existimantes, eius de morborum hæreditariorum causa opinionem delucide satis explicare. Posito igitur morbos omnes, vel salis, vel sulphuris, vel Mercurij naturam participare, concludit Quercitanus concilio ante citato morbos eos, qui salis fiunt vitio, vt lepra, arthritis calculus, fixas habere radices, proindeque hereditarios plerumque esse: reliquos autem morbos, qui à principiorum fluxibilium, & volatilium, vt Mercurij, & sulphuris culpa procedunt, quales sunt catharri omnes, & febres,

haud

haud ita facile ad posteros pertingere: nam nec semina sua firmiter figunt, nec tam altas agunt radices, quod tenacius impressas non habeant tincturas. Salis, atque etiam sulphuris fixi energiam in morborum transplantatione, similitudine à plantarum radicibus, & seminibus ducta, sic probat. *Si* inquit, *plantarum, vel radices, vel semina transplantes, facillime nouas agunt radices, & regerminant, adeoque nouos edũt fructus, quod neutiquam fiet de foliis, aut floribus, in quibus aut Mercurius volatilis, aut sulphur, & oleum volatile sedem habent: sal autem*

fixus

fixus perpetuo in radice continetur, & in quibusdam caulibus, & surculis medullosis, & sulphur fixum in semine: quapropter ex his transplantantur omnia vegetabilia: at a mercurialibus, quæ facile euanescũt, non item, quemadmodum nec a sulphure volatili præditis, cuiusmodi sunt flores & nonnullorum folia.

CAP. VII.

De principijs Chymicis sententia autoris.

HÆc, quæ ex Quercitano de rerũ principijs, morborumque causis retulimus,

mus, quod ex Hyppocratis, Aristotelis, aut Galeni monumentis non sint deprompta, tanquam inania & absurda doctissimi quamplures, & vulgares plerique omnes tam Medici, quam Philosophi reijciunt; nec non eorum nonnulli multis suis scriptis aculeata virulentia refertis in eundem Quercitanum, alioſque spagyricos immaniter sęuiunt At ego, vt liberè quid sentiã fatear, quanquam veterum, præcipuè Hyppocratis, & Galeni in Medicina, Aristotelis in Philosophia, decretis semper ferè insistendum, ab eorumque doctrina, vel rarissime

sime recedendum, firmiter teneam, negare tamen non audeo, eiusmodi substantias, seu principia Hypostatica, quæ analogia quadam sal, sulphur, & mercurium repræsentant, in corpore omni mixto reperiri. Et miror profecto, qua fronte quisquam experientiæ, scientiæ omnis, & cognitionis inuentrici repugnare præsumat, nisi pro ratione sufficiat, multos & pudere, & pigere, quidquam de nouo admittere, quod confirmatę eorum aduersetur opinioni, à qua ne latum quidem vnguem recedere volunt, ne prius non recte sapuisse videan-

deantur: multos tanta cum fatuitate (ne dicã idolatria,) Hyppocratem, Ariſtotelem, & Galenum venerari, vt quicquid ab illis non dictum non dicendum, quicquid ab illis incognitum, incognoſcibile putent. Sed quam longe decipiũtur, ex eo conſtat, quod ipſe Galenus, Hypocratem, & Ariſtotelem multis in locis redarguit, quodq; artium ſingularum ambitus, (omnium maxime Medicinæ) ita infinitus, vt nemo mundi ab origine in hunc vſq; diem, omnia, quæ in arte vlla cognitu neceſſaria ſũt perfecte, & vſquequaque cognouerit. Nulla præterijt

terijt post Hippocratem mũ=
di ætas, nullum lustrum,
nullus fere annus, qui non
noua, theurapeutice inseruie=
entia, experimenta protulit:
quorũ quamplurima à mu=
liercylis, & idiotis casu, &
fortuito inuenta. Quid igi=
tur mirum ingenioſos Me-
dicos, & Philoſophos, ra=
tione, ingenioſitate, & quoti-
diana experientia ducibus,
antiquorum ſcripta multis
expoluiſſe documenris, mul=
tis adauxiſſe incrementis.
Certe ſi Hyppocratis, Gale=
ni, & Ariſtotelis manes cor=
poribus, quę olim induerũt,
iam rurſus reunirentur, &
in terras reuocarẽtur, animo

obſtu-

obſtupeſcerent,& magnopere,geſtirent artem Medicam tot hodie videre ornamentis illuſtratam,tot nouis inuentis ditatam,tot mirificis operationibus confirmatam,quę omnia eorum temporibus, & multis poſt ſęculis in Cymerijs erant tenebris ſepulta. Galenus primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus c 18 .diuerſas in aceto ſubſtantias agnoſcit, partes ſcilicet alias calidas, alias frigidas, quarum ſeparandi artem ita deperibat, vt pro ea comparanda , omnes ſubire labores, omnibus obiici periculis ſe promptum, & paratum dixerit : quod vero

vero Galenus tanti estima-
bat, & tantopere callerę ex
optabat, nullus iam vel tri-
mestris chymicus ignorat,
nullus qui non exacte satis
operari pollet. Asserit Ari-
stoteles myrham, thus, &
cætera, quæ lachrymæ ap-
pellantur tetrea esse, & quæ
talia sunt exhalare negat, cũ
non liquentur: quare ex eius
opinione, horum destillatio
frustra tentabitur: quod fal-
sum experimur, ex omni et-
enim mixto aqua destillari
potest, licet in maiori copia
ex vno, in minori ex alio pro
natura mixti. Non igitur ve-
teres vsqueadeo suspciendi,
vt nihil illis detrahi, nihil
demi

demi posse videatur : neque noua neotericorum inuenta ideo reijcienda, quod veteribus ignota. Sed hic duo vulgaria misochymicorum argumenta remouere decet. Clamant primo, Spagyricos salem, sulphur, & mercurinum rerũ principia adstruentes, vt negent oportere, tum prima omnium principia, materiam, formam, & priuationem, in quæ corpora omnia vltimo resoluuntur, tum quatuor Elementa, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, ex quibus vnumquodque mixtum componitur : omnia ergo, inquiũt, & Peripateticæ Philosopiæ,

&

& dogmaticę Medicinę fundaméta deſtruunt chymici, conuellunt, & eruunt. Clamant quidem hoc, ſed falſo, & ignoranter: Admittunt Chymici Ariſtotelica principia, materiam, formam, & priuationem, quæ verè prima ſunt omnium corporum principia, ſed noetica potius quam hypoſtatica Admittunt, & quatuor Elementa cum ſuis quatuor qualitatibus in quæ, vt in priora, ſal, ſulphur, & mercurius reſoluuntur) principia quidem eſſe, ſed non proxima, & in quæ ſi fiat reſolutio, mixti omnes virtutes, & proprietates intereunt, ipſaque tanquam

quam in nihilū euaneſcētia, amplius non apparent: præter autē duo hæc principiorū genera, aliud agnoſcunt, proximū, & ſenſibile, tria nimirū illa, ſalem, ſulphur, & mercurium, ex quibus proxime, mixtum vnūquodq; cōponitur, quæq; ab inuicem chymice ſeparata, manifeſtis apparent ſenſibus, & mixti virtutes omnes integras conſeruant. Vociferantur præterea, vnūquodq; abſque vllius artis ope, in conſtituentia principia reſolui poſſe, Chymicorum vero principia, non niſi chymica analyſi, & Vulcani beneficio, è mixto extrahi, ac proinde

de in mixto non contineri, & ignis potius effectus, quã rerum principia dici debere. Vociferari sane hoc, non ratiocinari: falsum plane supponunt: separantur sine artis auxilio principia Chymica, quanquam id vix appareat, tum propter resolutionis illius tarditatem, tum propter sulphuris, & mercurij volatilitatem, quæ ideo in naturali resolutione vnà plerumque à sale, sub fumi vaporosi specie, secernuntur: at dubium non est, quin in principio resolutionis, solus fumus, seu mercurius, vel cum minimo saltem sulphuris admixto, egrediatur, deinde

inde ſulphur, ſal inter craſſas relinquens fœces : cuius rei non alia opus eſt demonſtratione, quam ipſa chymica reſolutione : etenim cum ars nihil aliud ſit, quam naturæ Simia, & imitatrix, quî poſſet principia illa ex mixto ſeparatim extrahere, niſi in mixto continerentur, & natura ſua ab inuicem ſeparabilia forent? Continentur certè in mixto, & non caloris aut ignis vi de nouo producuntur, alioquin ſequeretur ex mixtis omnibus æqualis magnitudinis, æqualem ſalis copiam chymico igne extrahi: quod falſiſſimum eſt: quæda enim corpora plurimum

præ

præbent ſalis, parum ſulphuris, aut mercurij, alia plus ſulphuris, alia plus mercurij.

CAP. VIII.

De Chymica Pathologia ſententia Authoris.

QVi chymica rerum principia negant, ſpatgyricam etiam Pathologiam, & Therapeiam cane peius, & angue, vt prouerbio dicitur, abhorrent, non ſecus ac ſi dogmaticam de affectuum cauſis, natura, & cura doctrinam funditus euerterent: ſed ſane, qui rem penitius perpendere

pendere volet, vtriusque sectæ dogmata non vsqueadeo inter se discrepãtia reperiet, imo ex elegantibus & artificiosis Spagyricorum topiarijs fragrantes, & salutiferos multos depromptos flores ingentem incultis dogmaticorum hortis spendorem addidisse intelliget, ita vt Hermeticam scholam dogmaticæ augmentatricẽ potius, quàm euertricem iudicet. Eadem quippe medicamenta tum dogmatici, tum Chymici ministrant, sed ab his magis pura, minus cruda minusque crassa, & ad operãdum efficaciora reddita exhibentur, quod cum dogma-

ticorum nonnulli, ſuo parum foelici in multis morbis per vulgaria remedia medendis ſucceſſu animaduerterent, in Spagyricorum gazophilatium excurrere, indeque varia furtim delata mediacmenta ſuis ægris propinare, ſuiſque ſcriptis inſerere coacti ſunt. Fontanus acerrimus erat Paracelſiſtarũ hoſtis, vt patet ex ijs, quæ tertio Methodi generalis capite primo, aliiſque pluribus in locis ſcribit: in ſua tamen praxi ad Chymica medicamenta multoties recurrit: ad pulmonum infarctũ tabellas præſcribit ex floribus ſulphuris, & ſaccharo in aqua tuſſi-

tussilaginis dissoluto. Contra eundem affectum aquis, & elegmatibus pectoralibus oleũ sulphuris admiscet. In hepatis, & lienis obstructionibus Crocũ Martis, & Cremorem Tartari ministrari iubet. Ad epilepsiam tollendam aquas chymicè destillatas Cranij humani, & radicis pœoniæ, pœoniæ item sal, & oleum vitrioli laudat. Rinodęus pariter Medicus Parisiensis, licet in institutionum Pharmaceuticarũ libr. 7. c. 2. præparationes chymicas sæpe satius scire, quam experiri dicat, eodem tamen ipso capite Chymicorum remedia à Pharmaco-

polio non ableganda censet, eorumque multa ad contumaces soluendos affectus eximię esse virtutis ait, & eiusdem libri cap. 23. de extractis Chymicis in hunc modum scribit: *eiusmodi extractum parua mole vires habet eximias, illiusque dragma non minoris est efficaciæ, quam uncia medicamenti cum tota sua substantia crassiore exhibita: solent vero his extracta dari, quorum nauseat ventriculus super pharmacopœorum medicinis*: quibus ex verbis colligere licet, vel ipsorum Dogmaticorum cõfessione chymica medicamenta communibus pharmacopœorũ pharmacis

macis gratiora, tutiora, & efficaciora esse. Wickerus denique celeberrimus dogmaticæ scholæ alumnus innumeras habet in suo antydotario descriptiones, & Spagyricos extractionis modos diuersorum salium aperientium, detergentium, & purgantium, diuersorumque liquorum tam sulphureorũ, quam mercurialium, herbarum, florum, seminum, radicum & aromatum, aliarumque rerum vegetabilium, quæ omnia, & singula olea, salia, & aqueos spiritus plurimorum morborum propria esse, & specifica remedia testatur. Hanc autem efficaci-

tatem chymica medicamenti non aliunde, quam ex laborioſiore, magiſque artificioſa præparatione acquirunt: ſunt enim eadem, vt antea dictum, quę dogmatici exhibent: quod ad Therapeiam ergo attinet, in ſolis medicamentorum præparationibus chymici à dogmaticis differunt. Neque certè maius eorum eſt in patholo-
gia diſcrimẽ. Non inficiatur Hermetici, quatuor dari in corpore humano humores, ſanguinẽ ſcilicet, pituitã, bilẽ, & melancholiam, eoſque vatijs, cum ſuis, tum inſitis, tum acquiſitis qualitatibus, infinitorum morborum cau-

ſas

fas esse: morborum autem productionem non ipsis humoribus, quatenus humores sunt, sed quatenus in se sal, sulphur, & mercurium continent, attribuendam aiunt: morbificas siquidem qualitates, & qualescũque alias, non ab humoribus, sed à tribus illis principijs procedere volunt: neque citra rationem hoc asserere mihi videntur, quandoquidem humiditatẽ omni, vi caloris euaporata, sal remanens pristinas suas seruat virtutes, & qualitates, quas si ab humiditate accepisset, vnà cum humiditate perdidisset. Asserere ego hypostatica illa principia, ex

quibus constamus, morborum esse causas, non est absurdum, neque dogmaticorum doctrinæ pathologicæ multum repugnat.

CAP. IX.

De morbosæ hæreditatis causa sententia Authoris.

IN hæreditario iure, quod in morbis reperitur, describendo, eiusq; causa enodanda, solum Quercitanum ex omnibus, quorũ scripta mihi videre contigit, laudem promeruisse arbitror: cum enim medicina practica sit scientia, non

non ſpeculatiua, eiuſque finis opus, non contemplatio, ita Medicum de morbis diſſerere decet, vt omnis eius diſcurſus ad curationem tendat, eaſque oportet morborum rimari cauſas, è quibus Therapeutica aliqua indicatio deſumi queat. At ſiue ſanguinis, ſiue ſeminis, ſiue vtriuſque vitio morbos fieri hæreditarios dicamus, nulla inde indicatio elicietur, niſi quid ſit vitiũ illud, quo mediante & ſemen, & ſanguis hereditariam fœcunditatem morbis imprimunt, detegamus. Solus Quercitanus, quoad ſciam, generale eiuſmodi vitium aſſignauit, ſal;

ſcilicet fixum, de cuius natura quicũque participãt morbi ad poſteros peruenire ſolent. Nihil nobis tale à dogmaticis patefactum: vixque ex eorum doctrina tale quidquam colligi poteſt: quandoquidẽ enim morbos ferè omnes, morbificaſque qualitates ab humoribus dimanare conẽdunt, & morbi cuiuſque hæreditarij cauſa fixum quid ſit, & terrenæ naturæ, non quoad qualitates primas, ſiccitatem, & frigus, ſed quoad ſoliditatem, fixamque ſubſtantiam, humorem vero nullũ, præter melancholicum, terrenum illi agnoſcant, ex eorum ſentẽ-

tia

tia inferri posset, morbi omnis hæreditarij causam esse melancholicum humorem: cæterũ ipsi concedunt morbum vnum hæreditarium, vt verbi gratia arthritidem, aliquando sanguineum esse, aliquando biliosum, aliquãdo pituitosum, aliquando melancholicum, sed omnium rarissimè melancholicum: quę sit vera igitur morbosæ hæreditatis radix ex Dogmatica Pathologia vix intelligitur. Nos ergo vt duabus primo propositis quæstionibus tandem respondeamus, cum Quercitano dicimus sal morbosum, morbosæ hæreditatis causam es-

sc,

se nullumque morbum fieri hæreditarium, qui de natura salis non participat, ac proinde morbos omnes in specie non esse hæreditarios; quandoquidem non omnes de natura salis participant. Dicere etiam possumus (vt ambas inter se sectas conciliemus) impuritatem illam seminis, & sanguinis, quæ iuris hæreditarij in morbis origo est, nunc sanguineam, nunc biliosam, nũc pituitosam, nuc melancholicam esse, aliquid tamen in se substantiæ salinæ, & tartareæ continere: varia enim, & diuersa salium genera in corpore humano gignuntur, quæ

quæ in varijs efflorescunt humoribus: Sal gemmæ & commune in pituia salsa apparet: sal ammoniacum acetosum in pituita acida, & in quadam specie melancholiæ acidę: sal vitriolarum æruginosum, in bile ęruginosa: sal alumnios um puugens & stipticum in pituita vitrea, sal nitrosum, amarum in bile amara, sal dulce saccharinũ in pituita dulci: sal arsenicale & sepricum in humoribus malignis, & pestilentibus: ex quorum omnium coagulationibus innumeri oriuntur morbi, vt arthritides, calculi, scirrhi, & variæ obstructionum species; pro varijs salium,

um, & tartarorum naturis, quemadmodum, & ex eisdē resolutis plures nascuntur morbi. Ex corrosiuis verbi gratia, distincta dissenteriarum genera: ex acribus & salsis ardores vrinæ: ex acetatis orexes ventriculi: ex arsenicalibus anthraces, carbunculi, vlcera cancrosa, phagedænica, dysepulotica, & similia: & ex stipticis quędam colicę species, quæ tandem in contracturas degenerant.

CAP. X.

Possuntne parentum morbi in nepotes transferri intactis intermedijs natis?

Inter

INter alia, quæ de morbis quæri posſũt hæreditarijs, ſpeculatu non eſt indignum; an ſit poſsibile parentes ſuos tranſmittere morbos ad nepotes, alioſue poſteros, primis, & immediatis natis ab eiuſmodi morbis immunibus exiſtentibus. Negatiuæ parti ſequentes duæ rationes fauere videntur: cum agens omne per contactum agat, vt ab Ariſtotele docetur 7. Phyſicorum, cap. 2. impoſsibile eſt, agens aliquod in patiens agere remotum, quin prius agat in propinquum; eademque actione eundem producat effectum in propinquo, quem producit in remoto:

moto, imo vt in propinquũ quam in remotum fortius agat est necesse, modo propinquum, & remotum eiusdem sint naturæ: quodlibet enim agens certam, & limitatam habet suæ actiuitatis sphæram, cuius in omnes partes non æqualiter agit, sed in propinquiores fortius, in remotiores debilius, si propinquiores partes illius sint effectus æque capaces ac remotiores: aliter vero contingit cum diuersa sunt patientia, & propinquius eandem cum remoto alterationem subire non potest, vt videre est in lumine solari, quod calorem in sublunaribus corpori-

poribus procreat, cum nihil tale in inferioribus planetis efficiat, propterea quod cælestia corpora alterationi non sint obnoxia: Sic magnes occulta sua virtute ferrum à se distans, cum quadam violẽtia ad se attrahit, interiectas paleas, ligna, saxa, aliaq; non minus, quam ferrum mobilia, non omnimo mouens, propterea quod sympathicã ferri cum magnete qualitatem non habent, qua mediante vim à magnete mouentem acciperent: At natorum, & nepotum, reliquorumque posterorum nulla talis disparitas respectu morbosarum parentis impressionum: omnes

nes siquidem in parentum morbos incidere possunt: ergo cum parentum nihil, nisi mediantibus natis, ad nepotes peruenire possit, vt parentale vitium, & prius, & fortius natos, quam nepotes infi-ciat, oportet. Alterum argumentum sumitur ex Aristotele primo demonst. capit. 2. Quod efficit tale, id ipsũ est magis tale: at nati parentum morbis subsequentes posteros polluunt, ergo ipsi eosdem habent morbos. His tamen rationibus non obstantibus contrariã partem, vel ipsa probat experiẽtia: quamplures enim morbis excruciantur hęreditariis, quorum

proximi

proximi parentes, nihil vnquam tale sunt perpessi. Sed Empirici & amusæ est, nudis insistere experimentis: Medici vero, & Pholosophi certam, & euidentem cuiusque rei cognitionē ex causis expiscari, & demonstrare: placet igitur modum explicare, quo in multos multi auorum, & proauorum ineidūt morbi, quos intermedij parentes nunquam senserunt: id tribus præstabimus theorematis. Primo omnium asserimus, morbosam hæreditatem non à solo patre, sed etiam, & à matre procedere: licet enim maternum semen paterno debilius plerumque

sit

sit actiuum tamen est, quidquid cõtra Peripathetici clament. Quod si etiam nulla actiuitas materno ineſſet ſemini, vel ipſius vteri, & ſanguinis menſtrui prauitas ad infauſtam hanc hęreditatem ſoboli communicãdam ſufficeret: ſicut enim tritici ſemen, licet alioqui bonum, et laudatũ, ſi nõ in bono ſeminetur ſolo, in zizaniam abit, aut certe in frumentum illaudatum: ſic ſanum, vegetum, & laudabilę patris ſemen malignam concipit vim morborum, quibus mater diu exatur', vnde morbida proles, morbiſq; hæreditarjs obnoxia procreatur. Secundõ

do affirmamus è contra fieri posse, vt à patre morbido, vitiosumque conferente semen, sana, integra, & vegeta proles nascatur, materno nimirum salubri, valido, & laudabili semine, sanguine, & constitutione, paterni seminis vitia, prorsus abolẽte, ita vt paternæ morbositatis, vitiorumque vestigia nulla in prole appareant: nullæque supersint reliquiæ: quare prudenter agere existimandi, qui coniuges corpore recte valentes, clarisq; tũ suis, tum maiorũ virtutibus insignes, potius quã diuitijs abundãtes, liberis suis prouident. Tertiũ theorema est, vnius se-

ſeminis impuritatem rariſſime ab alterius, licet maxime puri, & ſani, commiſtione penitus tolli: perſæpe autem ita corrigi, vt in fœtu, qui ex illa commiſtione conſurgit, nullus illius impuritatis fructus appareat: mali tamen radix viua fortaſſe in fœtu, quoad viuit, latet, vnaq; cum ſemine, quod hominis eſt quaſi extractum, in eius liberos transfertur, in quibus alterius ſeminis, ſed imbecilli, licet non morboſi, ope, aut nulla ſaltem reſiſtentia cohibita, infauſta producit germina, infœliceſque ſtolones: hæreditarios nimirum morbos, quorum nec vim, nec

ſymp-

ſymptomata pater vnquam eſt perpeſſus, licet eorum in ſe cauſam fixam, ſed quaſi cathenatam, & vinculis conſtrictam per totam habuerit vitam: non ſecus ac fertiles racemi glacialibus plantati in plagis, aut nullos, aut acerbos edunt fructus, ſed benigniori tranſplantati ſolo, ad priſtinam tedeunt fertilitatē, & dulces, ac vinoſas præbent vuas: aut quemadmodum aqua, quæ gelida eſt natura, igni ſuperpoſita, calore cōcepto, refrigerare nequit, igne vero remoto, nativum recuperat frigus, refrigerandique poteſtatem. Ex his facile eſt contraria ſolue-

re

re argumenta. Ad primum respondetur, cõcedendo agẽs omne per contactum agere, siue mediatum, siue immediatum, & per consequens parentis morbos prius imprimi natis, quã nepotibus, quoad causam, cui tamen causæ aliquid in natis, (alterius nimirum parentis valida, & sana constitutio) resistit, quod non fit fortasse in nepotibus, vnde contingit aliquando, vt causa illa effectũ, quẽ non potuit in natis, in nepotibus sortiatur. Secũdo etiam argumento idem satisfacit responsum: conceditur etenim natos causas in se continere morborũ, quibus

bus nepotes inficiunt, non autem ipsos semper morbos: dispar siquidem est aliquando morbificarum causarum actio in natis, & nepotibus: in his libera interdum, & fortis sine vlla resistentia; in illis à resistente cõtrario debilitata: possunt ergo maiorũ morbi in remotis posteris hæreditario iure eluctescere, etsi propinquos, aut inter medios non molestent. *Morbus hic* inquit Valescus de Taranta in Philonio, cap. de elephantiasi, *inter hæreditarios reponitur, & aliquando ad posteros transit, medijs saluis.*

E CAP.

CAP. XI.

An morbi hæreditarij curabiles?

DIfficultatum omniũ, quę medendis in morbis occurrunt, nulla, quæ pluribus cõmunis, medentium magis terret animos, magisque de incepto desperare facit opere, quam si quos curant morbos, ægris hæreditario iure aduenisse intelligant: quamplurium enim Medicorum opinio est, imò omnium ferè, morbos nullos hæreditarios radicitus extirpari. *Cum* inquit Iulius Palmarius Medicus Pa-

risiensis

risiensis, in opere de morbis contagiosis, tractatu de Elephantiasi, cap. 4. *ex elephantico semine vitium est contractum, de ægri salute spes omnis abijcienda.* Idem confirmat in eiusdem tractatus cap. 7. rationemque addit. *Elephantiasis*, inquit, *quæ vel hæreditario iure successit, vel inueterata est, nullo vnquam remedio penitus exscinditur: hæreditaria natura, & seminis sit vitio, quod ars nulla emendare potest:* Eadem est Frambesiarij opinio de hæreditaria arthritide in appendice ad libros Canonum Medicinalium, distinctione secunda, Canone 5. *Quibus in-*

quit *hæreditaria est arthritidis, vix vnquam planè liberantur, quemadmodum nec quibus nodosa euasit: illis enim connatum est, & vitæ principijs insitum, infixumque malum, &c.* Cum Frambesiario conueniunt Fontanus, Paræus, & Auicena in hæreditariæ arthritidis prognosi. *Quando*, inquit Gordonius in lilio, capite de epilepsia, *aliquis est generatus tempore menstruorum, aut ex immundis spermatibus, aut parentes sunt epileptici, deinde genitus incurrit epilepsiam, talis non videtur curabilis.* *Epilepsia* inquit Bruellus, *inueterata incurabilis, vti ea*

quæ ab ortu comitatur. Sed quid pluribus authoritatibus opus? quicunq; de morbis hæreditarijs scripserunt, eãdem omnes de illis prognosin tradiderunt, eorumque vna omnium ratio, & idem fundamentum: naturæ scilicet vitia arte tolli non posse; morbos hæreditarios seminis, & naturę vitio fieri: nullis ergo remedijs curari. Tot ego, tantisque Philosophis, & Medicis, vt prorsus dissentire nolim; sic nec hac in re vsquequaq; consentire possum: in hoc cum illis consentio, morbos hæreditarios aliquãdo incurabiles, & plerumque curatu difficiliores

alijs omnibus, qui hæreditarij nunquam fiunt. In hoc dissentio, quod illi difficultatem curandi hæreditario iuri, seu parẽtali in natis sympathiæ tribuant, non vero illius hæreditatis radici, & causæ, substantiæ scilicet salinæ, & tartareæ, difficulter mobili, & difficulter dissipabili. At mea opinione fixitas, & terrestreitas tum seminalis impuritatis, tum materni sanguinis vitij, radix est morbosæ hęreditatis, & causa cur hi morbi incurabiliores sint morbis sulphureis, & mercurialibus. In eo præterea quod dicunt, naturæ, & seminis vitia arte nulla tolli posse,

posse, partim assentior, partim discrepo. Assentior si artem nudam, omniq; naturæ auxilio destitutã intelligant, verum enim illud Hipocratis: *Natura morborum medicatrix* & irrefutabile illud Galeni, *æqualis intemperei nulla cura*. Discrepo si de natura loquantur nondum victa, nec adhuc malis penitus succumbente: eiusmodi etenim naturæ vitia, quæ ab ipsa sola natura expelli nequeunt, ab eadem natura, ab arte adiuuata tolluntur: nullus est morbus sua specie lethalis, nullus incurabilis: neque ius hæreditarium ex illis est epigenomenis, aut su-

peruenientibus ſymptomatis, quæ morbos alioqui curabiles incurabiles reddunt: imo vero è contra videmus, morbos qui in parentibus incurabiles, aut ſaltem curatu difficiles ſunt, facili negotio in natis aliquando curari, licet hæreditarij ſint in vtriſque: morbi namque hæreditarij radix aliquando firmior, & fortior in patre, quam in nato, ac proinde medicamentorum actioni magis reſiſtit in patre, quam in nato, niſi natus aliunde, quam à patre, noua morbi germina acceperit: quod ſi quæras vnde illa vitiũ morboſæ radicis diſparitas in patre,

tre,& nato;dico primo morbosam radicem nihil aliud esse, quam seminis & sanguinis impuritatem, & natum ex vtriusque parentis semine,maternoque sanguine,constare,ac ortum trahere,ideoque cum vnius seminis impuritas ab alterius vel seminis, vel sanguinis salubritate corrigitur, & debilitatur(vt quandoque fit cum parentum alter satis salubris & firmus) necessarium esse, vt morbus, qui ex debilitata illa impuritate in nato consurgit,facilius eradicari possit,quam parentis morbus ex impuritate non debilitata causatus. Dico secũdo mor-

bo omni hęreditario certum, & præſcriptum eſſe ſuæ durationis terminum, ita vt vel ipſo quaſi ſenio confectus, abſque vllius artis ope, tandem deſinat: quemadmodum enim morbi acuti certa habent ſui initij, augmenti, ſtatus, & declinationis tempora, certo dierum, vel menſium numero diſtincta, ſic morbi hæreditarij ſuum habent initium, augmentum, ſtatum, & declinationem, quæ non diebus, neque menſibus, ſed potius annis, luſtris, & aliquando ſęculis, inter ſe diſtinguuntur: morbus ergo, qui parentem in augmento, vel ſtatu affligebat,

si natum in declinatione corripiat, debilior etiã in hoc, quam in illo, & per consequentiam curatu facilior. Ius ergo hæreditarium nihil morbis addit, quod eos incurabiles reddat, & consequenter morbi hæreditarij non sunt incurabiles.

CAP. XII.

Generalis morbosæ hæreditatis therapeia.

MOrborum, in quos ius cadit hæreditariũ, magnus est numerus, diuersę naturæ, & varia repugnantia symptomata, quare multæ

& diſsimiles therapeuticæ ſpeciales eorum indicationes, vna autem omniũ communis, & generalis: abolitio ſcilicet radicis, & cauſæ, à qua morboſa omnis hæreditas dependet: de hac ſola hic nobis erit ſermo. Diximus ante hæreditariam morboſam radicem nihil aliud eſſe, quam craſſam quandam impuritatem, quam chymici ſal, aut tartarum morboſum appellant, ſolidæ alicui parentis parti infixam, & vel ſeminis, vel materni ſanguinis vi liberis communicatã. Hęc vt amoueatur, duo ſunt à Medico obſeruanda. Primo ſpecifica oportet inueni-

re re-

re remedia, tartarum dissoluentia, & euacuantia. Secundo debita in remedijs administrandis tenenda methodus. Specificorum remediorum defectu, & ignoratione contumaces affectus, quales omnes, qui ex tartaro oriuntur, ignaris à Medicis incurabiles plerumque reddunturut videre est in vulgari arthritidis cura, quæ si à frigidis, crassisque humoribus orta putatur, materiã morbificam calidis, potenterque siccantibus medicamentis attenuare & discutere plerique Medicorum attentant. Sed quis successus? non modo humorem non attenuãt,

neque

neque discutiunt, sed in gypseam potius duritiem, in tophos, & nodos conuertunt: partibus enim tenuioribus vi caloris evaporatis, reliqua materia in lapideam quandā soliditatem cogitur. In dolorosa pariter, & pungente arthritide, in qua rubor, tumor, & calor apparent, refrigerantium medicamentorum, (quorum alia apocrystica, siue repellentia, alia narcotica seu stupefacientia appellantur) vsu dolorē quidem aliquantisper sedant, morbum autem incuratum, si non incurabilē relinquunt, tartaro nimirum, arthritidis omnis causa, indissoluto, cuius

ius certe dissolutio non in vi caloris attenuante, multo minus in frigoris facultate condensante, sed potius in specifici remedij specifica dissoluente virtute consistit. Tot autẽ sunt specifica dissoluentia, quot salium, & tartarorum genera, & quæ vnius generis tartarum aut sal dissoluunt, alia alterius generis, & naturæ dissoluere nequeunt: vt videmus, quod dissoluit aurum, non dissoluere argentum, & viciſſem, quod dissoluit argentum, nõ dissoluere aurum, & quod magis admirandũ est, Chrysulcã illã aquã, quæ & fortis appellatur, & durissimorum me-

metallorum dissoluendi vim habet, dissoluere nequire sulphuris exiguum, quod tamē in pauco oleo facillime dissoluitur. Lis est magna inter dogmaticos, & Spagyricos, vt se habent dissoluentia specifica ad sua dissolubilia: an contraria? an similia? hoc Spagyricis placet: illud Dogmaticis: Dogmatici nullam actionem nisi inter contraria concedunt: resoluere autem est agere. Spagyrici contra, nihil nisi in simile agere aiūt, idque probant quibusdam experimentis. Gummi omnia, quæ aquea sunt, & mercurialia, vt gummi Arabicum, gummi Tragagantinum,

num, gummi Prunorum, & Ceraſorum, in aqua non in oleo diſſoluũtur: at maſtix, rhus, lacca, ſulphur, quoniã oleoſa ſunt, & de natura ſulphuris, in oleo diſſoluũtur, nunquam in aqua: quæ autem gummi partim ſulphurea, partim aquoſa, & de ſalis natura plurimum participant, vt ammoniacum, Sagapenum, galbanum, neque in oleo, neque in aqua diſſoluuntur, ſed in aceto, quod vitriolici ſalis ſpiritũ, partim etiam ſulphureum, partim mercurialem in ſe continet. Lis hæc magna quidem in verbis, ſed nulla in re. *Diſſoluens* & diſſolubile:

bile: morbifica causa, & specificum remedium, vt similia sint, & contraria oportet: similia in substãtia, & genere: contraria in qualitate & actione. Arthritis à salibus generatur tartareis, acribus, & corrosiuis: à salibus etiam curatur, sed lenitiuis, & consolidatiuis. Calculus fit à tartaro, seu sale coagulato: curatur à sale resoluẽte, & penetrante. Febris excitatur à sulphure inflãmatorio extingui tur sulphure acido, & vitriolato, quod summe refrigerat, sulphureosque commotos spiritus coagulat, & compescit. Contraria igitur necesse est esse remedia, & oportet

vt

vt ſint ſimilia, aut non erunt ſpecifica; quorum inquiſitioni medicis omnibus toto pectore incumbendum: ea enim ſunt, quę morbos curant, ſi dextere, & cum methodo adminiſtrentur: ſine verò methodo parum aut nihil proſunt. Hinc fit quod Empirici, & mulierculæ. etſi optima, & ſpecifica morborum remedia norint, & habeant, morbis tamen vel rariſſime medeantur, propterea quod methodum ignorent, qua in remedijs adminiſtrandis vti decet. Neque Empirici ſoli, ſed & medici complures methodum aut ignorantes, aut negligentes mor-

mortem & perniciem ęgris, dedecus & ignominiam ſibi perſæpe pariunt. Methodus hæc pro varia morborum diuerſitate varia eſt & multiplex; imo & idem ſpecie morbus in varijs ægris, ætate ſcilicet, aut temperamento, aut ſexu, aut regione, aut conſuetudine, aut anni tempore non conuenientibus, variam poſtulat curãdi methodum: generalia autem eius capita, & quæ in omni fere morbo obſeruanda, ſequentes cõprehendunt Canones 12.

Princi-

Principes generalis methodi
Canones 12.

Canon 1. In omni morbo prius toto corpori per vniuerſalia remedia, quam parti affectę per particularia, & topica proſpiciendum: aut ſaltem particularia nunquam exhibenda, quin vniuerſalia vel præceſſerint, vel ſimul adminiſtrentur: ſecus facientes Empirici, & indocti medici in frigidis hepatis affectibus, dum calida inprimis topica parti applicãt, prauos omnes corporis humores illuc attrahunt, morbumque augent.

Secundus Canon ſumitur

ex

ex Gal. Cõment. 5. Sect. 1. lib. 6. epidem. Quandocumque catharsi, & Phlebotomia vtendum, à phlebotomia tutius est incipere: sanguine namque detracto obstructiones auferũtur, vnde facilior medicaměti per venas meatus, & natura parte oneris leuata ad medicamento cooperandum in corruptis humoribus excludendis alacrior & robustior redditur: est tamen aduertẽdum, qd quando ventriculus peculiari humorum prauitate laborat, vel emetica, vel cathartica phlebotomiæ præmittenda, ne vers̃ę post sanguinis detractionem vitiosos e ventriculo

triculo humores ſugant; conueniens etiam eſt, ſi per otium liceat, ſemper ante venę ſectionẽ emolliens injicere enema, ne fęculẽti humores in inteſtinis ſtabulãtes ab exhauſtis venis attrahantur.

Tertius Canon. Morbifica materia primo præparanda, deinde vacuanda. Hyppoc. Aphor. 22. lib. 1. ſecus qui faciunt, duo inuehunt incommoda; primo calorem coquentem, & præparentem reſoluunt: ſecundo mouẽt, & non purgant, variaq; mala ſymptomata excitant. ſi tamen nimia adfuerit repletio, primo omnium portiũcula

cula leuiter adimenda, per phlebotomiam si fuerit plethorica; per vomitum, aut deiectionẽ, si cacochymica: alioquin periculum est ne præparantia medicamenta materiæ morbificæ corruptionem, & contagium contrahant, naturamque potius opprimant, quam leuent.

Quartus Canon. A causæ morbificæ remotione curatio omnis auspicienda, nisi id symptomatum violentia impediat: aliquando enim ob periculum a symptomate imminens, causam aliquãtisper deserere cogimur, & symptomatis mitigationi incumbere.

Quin-

Quintus Canon. Cum morbus pluribus a cauſis, ſibi inuicem ordinatis, depẽder, medicationis initium à remotiori ducendum: vt ſi epilepſia procedat ab vteri ſtrangulatu, ſtrangulatus à retentione menſtruorum; menſtrua autem ſuppriminitur ab humorum craſsitie, quæ fluxui eſt inepta: ante omnia humores attenuandi, tum menſes mouendi, & vterus purgãdus: poſtremo cerebrũ & cor corroborãda.

Canon Sextus. Cum diuerſorum graduum medicamenta ægris ſunt exhibẽda, vt in contumacibus, & Chronicis affectibus fieri

solet, benigniora primo administranda: natura etenim non est nimium commouẽda, antequam materia peccans ita correcta & minorata fuerit, vt vno quasi impetu expelli possit.

Canon Septim. In Chronicis, et contumacibus morbis plus prodest optima victus ratio, quam crebra medicamentorum exhibitio: neq; iisdem semper remedijs vtendum, sed ad similia interdum debet fieri mutatio: fastidiosi namque ægrotantes è noua remediorũ forma plus auxilij expectãt, eamq; alacriores amplectuntur.

Canon 8. Complicatos & im-

implicitos morbos, qui natura & cura congruunt, aut parum dissentiunt, & simul, & seorsim sanare licet; quumque id seorsum fit, ab vtrouis incipere conceditur: sed si vnus alterum superat, magisue vrget, ei cautius prospiciendum, altero non neglecto, ex Gal. consilio cap. 9. lib. 3. de sanitate tuenda.

Canon 9. Implicitarum affectionum, quæ aut omnino dissentiunt, aut partim consentiunt, partim dissentiunt, ab ea auspicandum, cuius cutatio alteri non officit, & quæ altera præcedente compleri nequit, vt si

opthalmiæ iungatur albugo, illa primum tollenda, deinde hæc detergenda. Opthalmiæ curatio albuginem non lædit: albuginis vero detersio, quæ acribus fit medicamentis, nouam fluxionem accerseret, vnde opthalmica phlegmone exasperaretur.

Canon 10. Biliosa corpora vomitu tutius euacuantur teste Hyppoc. aphor. 4. & 6. & 17 & 18. lib. 4. nisi quid impediat, vt si tabes adsit; tabidos per superiora purgare prohibet Hypp. aph. 8. Sect. 4. Prohibent & moderni plerique practicantes vomitionem in omnibus fe-

rè

rè prætoris affectibus; ego tamen Rulandū imitari malim, qui fælici cùm successu vomitoria ministrat in tussi asthmate, vtraq; pleuresi, & angina, vt ex eius curationū Empirici centur. patet.

Canon 11. Humores crassiperaluum purgari volunt: *Aph. 4. lib. 4.* Cauendum tamen ab hac euacuatione in dysentericis doloribus: humor enim noxius per affectam partem nunquam deriuandus: cauendum præterea ne hypochondria sint extenuata, ex *Aph. 35. lib. 2.*

Canon 12. Materię fluenti, & fluxuræ revulsio & auersio debetur per vacuationem

ex

ex parte oppoſita eiuſdem lateris: materiæ fluxæ ſed non impactæ deriuatio ex parte propinqua ſecundum communicationem vaſorũ: materiæ fluxæ & impactæ euacuatio ex ipſa parte affecta.

EPILOGVS AD Lectorem.

ALiæ ſunt quamplurimæ medẽdis in morbis generales obſeruandæ regulæ, de forma animi rum, quantitate, & tempore medicamentorum exhibendorum ſed quarũ quæque quamplurimas patitur exceptiones,

quæque in ſpecialibus curatiuis morborum hiſtoriis cautius tradi poſſunt: eas igitur nos hic ſilentes & alibi modo Deus vitam & oportunitatem tradiderit, latius tractaturi, paucas has, totumque opuſculum beneuolo lectori grato animo afferimus, quæ ſi boni conſuluerit nobis ad maiora animos addet.

FINIS.